



Per.
Lat
020

LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praeolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy
évben. Elöfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Pentecoste.¹

Sol deciens patulum radios spargebat in orbem,
Ex quo passus Homo scanderat astra Deus.
Ultima discipuli Christi praecepta sequentes
Ostia suspenso² pectore clausa tenent.
In magno residet conclavi secta Magistri,
Sex et quinque viri femineumque genus.
Anxietas oculis et spes tenebrosa³ refulget,
Tempora dum velis tecta futura manent.
Namque etsi Dominus, quae dogmata⁴ vera
tenerent,
Tradiderat, quin se dixerat esse Deum:
Assueti sed erant res utilitate metiri,
Nec poterant fatum noscere mente sua.
Instituit divus caelestia regna Redemptor,
Quorum rex dominus protinus⁵ ipse foret:
Hoc tamen imperium fragiles terrestre putabant
Atque ibi se primos iure tenere locos.
Sed cum dedecori vidissent morte perisse
Christum et mobiliter spem cecidisse suam:
Nondum firma fides subito languescere coepit
Incertaque leves sorte labare⁶ viri.
Praeterea que metus Iudeorum prohibebat
Ostia ferratis pandere clausa seris.
Sicque homines intus iussumque metusque
tenebat
Cogebatque pias continuare preces.
Verba die Solis⁷ fierent cum fervida claro
Guttaque manaret multa per ora calens,

Desuper auditur subito mirabile murmur,
Taniquam cum frondes moverat aura leves.

¹ pünkösdi ² ingadozó ³ bizonytalan ⁴ tanítás
⁵ folytonosan ⁶ inog ⁷ vasárnap.



Intenti tollunt oculos vir, femina sursum
 Miraque confuso pectore facta vident.
 Nam similes linguis ignes apicesque⁸ minutis
 Labuntur passim sub laqueare cayum;
 Divisi supra caput unumquodque volatu
 Praecipiti pendent — parte cuique pari.
 Continuo coepit variatio⁹ magna viorum
 Ignavusque prius robora quisque capit.
 Munera nam septem Divinus Spiritus¹⁰ addit
 Cordibus atque animos nutrit amore pios.
 Et quibus ante fuit Iudaica timenda voluntas¹¹
 Ianuaque infestae clausa tenenda domus,
 Nunc animo capto¹² mysteria¹³ caelica docti
 Cuncta per incipiunt oppida ferre fidem.

Val. Fehér.

⁸ lángnyelv ⁹ változás ¹⁰ Szentlélek ¹¹ szándék
¹² fölbátorodva ¹³ titok.



LECTARIUS MINIMIS.

Nobilis Hispanus.

Postquam Columbus Americam repperit, plurimi Hispanorum fortunam tentare studuerunt. Inter ceteros quidam nobilis omnem fere rem familiarem vendidit, navem aedificavit, nautas cibariaque comparavit et iter apparavit, ut terras insulasque reperiret.

— Mane hic, oculi mi¹ — ait uxor malum praesagiens,² — mane hic in pacata tua patria, ubi maiores tui beati vixerunt placide quiescunt. Mane in domo tua silentia,³ inter bracchia tuae uxoris. Quid te in mare incertum, quid in ignota pericula ignotarum terrarum impellit?

— Quiesce, uxor, — inquit vir obstinatus,⁴ — superior me potestas e domo excitat,⁵ motus⁶ quidam internus occultusque me tuis bracchiis eripit. Cede⁷ fato superiori et si de me dolueris, praecipe gaudium⁸ ex eo, quod tibi dico: ego certe vicarius regis⁹ in insulis repertis ero et redibo, ut te regi-

nam parvosque regni heredes¹⁰ mecum ducerem.

Vir gloriae cupidus profectus est. In mille periculis cum undis, procellis,¹¹ scopolis,¹² feris hominibusque dimicavit. Sed nihil habuit, quod reperiret et afflcta¹³ navi nautisque morbo affectis in maxima egestate ad insulam quandam Hispanorum appulsus est.¹⁴

— Iam actum est¹⁵ — inquit — de meo regno. Tamen dives atque adeo ex reliquiis fortunarum ditior, quam domi, fieri potero.

Sed quadam nocte, cum ipse in terra moratur, incuria¹⁶ nautarum scintilla¹⁷ in pulverem pyrium¹⁸ insiluit navisque cum rebus omnibus in aërem disiecta est.

— Iam nunc quo me vertam?

Rem minimam ex divitiis habebat. Sed animum erexit¹⁹ spes, se in locupleti²⁰ America labore, industria, mercatura²¹ multum proficere²² posse.

Si vicarius regis, — inquit, — si dives fieri non possum, at certe veterem rem familiarem, quam invida fortuna mihi abripuit, resarcire²³ potero.

Profecto²⁴ paucis annis post secundā fortunā²⁵ maiorem partem rerum amissarum recuperavit.²⁶ Tum invadit animum desiderium patriae et relictæ familiae.

— Domum — inquit — redibo, non ut potens dominus, sed raris rebus novarum terrarum onustus.²⁷

Navem inscendit. Sed coorta tempestate²⁸ navis ad scopulum alliditur.²⁹ Rerum, quas aegre quaesiverat, nihil seque vix ex undis conservavit.

Quid nunc mendicus³⁰ in aliena terra faceret? Animo demisso³¹ oculisque natantibus³² mare fortunamque consideravit.

— Utinam domi essem! — clamat oculis lacrimantibus: — res amissas non dolerem. Beatus est, qui bona pace inter suos vivere potest. Heu me stultum et insipientem! Dominus veni, mendicus revertar.

¹ kedvesem ² sejt ³ esendes ⁴ határozott ⁵ kikészítet ⁶ ösztön ⁷ engedj ⁸ előre örül ⁹ alkirály ¹⁰ trónörökös ¹¹ vihar ¹² szirt ¹³ megrongált ¹⁴ kiköt ¹⁵ vége ¹⁶ gondatlanság ¹⁷ szikra ¹⁸ puskapor ¹⁹ éltet ²⁰ gazdag ²¹ kereskedés ²² sokra meggy ²³ kipótol ²⁴ valóban ²⁵ a sors kedvezéséből ²⁶ vissza-szerez ²⁷ terhelt ²⁸ zivatar ²⁹ ütödik ³⁰ koldús ³¹ csüggédten ³² révedező.

Per menses exspectare debuit navem in Hispaniam profecturam, qua ministerio nauiae utens domum vectus est. Ibi in paupertate atque egestate cum familia vixit, tamen contentus fuit et beatus, quod in patria et inter suos esse poterat. Saepe exclamavit :

— Usui mihi sunt³³ itinera ac mei labores : nunc meam fortunam et quietem aestimare scio.

Val. Fehér.

³³ hasznomra vannak.

Puer rusticus in ludo litterario.¹

Scrispsit Géza Gárdonyi.

In Latinum convertit Carolus Ács.

Kalendis Aprilibus decem simul pueri aberant a ludo, aberat etiam puellus² Iosephulus Tabi. Iosephulus est puerulus bel-lulus³ et alacer,⁴ simo⁵ naso hirsutisque⁶ capillis.⁶ Doleo⁷ eius vicem,⁷ quod nunc demum⁸ sapere⁹ coepit, quorsum¹⁰ sint¹⁰ litterae.¹⁰ Si saltem triduum in ludum itabit, proximo autumno iam legere poterit; sin nunc aberit a ludo, velut si nullam unquam viderit, prorsus dediscet¹¹ litteras.

Ceteros novem pueros arcessi¹² iussi,¹² Iosephulum ipse domo reducturus eram.

«Salvere te iubeo, mater Tabi, inquam aream intrans, ipse veni, ut visam,¹³ si quid mali domi tuae acciderit.»

Mater Tabi tum forte linteal¹⁴ expediebat,¹⁵ ut in sole expanderet.¹⁶ Ex oculis et vultu intelligebatur adventum meum ei inopinatum¹⁷ accidisse.¹⁷

«Nihil mali nobis accidit,» respondet illa humo a linteis surgens, «ingredere dum,¹⁸ sodes,¹⁸ domum¹⁸ nostram.»¹⁸

«Certe quidquam mali vobis evenit» inquam in area¹⁹ subsistens.¹⁹ «Certum est Iosephulum aegrotare, nequiquam²⁰ negas.»

«Minime vero,» ait subridens femina, «valet ille, atque pernix²¹ ac mobilis²¹ est quasi²¹ avis.»

«Noli negare eum aegrotum esse, aliter fieri non potuit, quin in ludum mitteretur. Mater Tabi, ne²² tu scis, qua es prudentia,²³ te maiores divitias omnis generis artibus et humanitate, quas is in ludo litterarum

discat, hereditate relinquere non posse. Cedo puerum,²⁴ videre²⁴ velim,²⁴ quid puerulo mali sit.»

Tunc mater Tabi vehementer erubescit manusque perturbata²⁵ complicat. Caput pudibunda²⁶ in obliquum²⁷ avertens sic ait :

«Nimirum hodie, magister dilectissime, Iosephulum anseres pastum²⁸ miseram» — atque se excusans addit :

«Unicum habeo filium atque anseres iam pastum agi oportuit.»

«Probe scio, misera mater Tabi, ex anseribus autumno fore, ut magna pecunia²⁹ reficiatur,²⁹ pecuniaque vobis ad tributum pendendum opus esse. Sed nescis, mater Tabi septem diebus post temptationem³⁰ ad futuram esse? Iosephulus ingenii facultates ut rosa florem nunc expandere³¹ incipit;³¹ verum si nunc a ludo prohibebitur, mentis vires recedent, quasi cochleae³² neque ad proximum annum prorepet.»³³

Post meridiem iam iterum in ludo sedebat puellus simo naso et vegetissimo³⁴ ingenio.³⁴ Capilli³⁵ horrebant³⁵ atque subrigebantur,³⁵ tamquam³⁵ clavuli³⁵ scandulares.³⁵ Pure lotus ut regulus³⁶ nitebat. Ex vultu spiritus³⁷ elati³⁷ ac gravitas³⁷ eminebant.³⁷ Quidni? Magister ipse eum e pascuo³⁸ anserum in ludum reduxit.

1 népiskola 2 fiueska 3 kedves, bájos 4 vidám
5 pisze 6 tűskéshajú 7 sajnálom (a sorsát) 8 csak
9 megérteni 10 a betük mire valók a világban 11 elő-
felejti 12 hivattam 13 megnézzem 14 vászon 15 elő-
rak 16 kiterít 17 meglep 18 tessék besétálni! 19 az
udvaron maradva 20 hiába 21 fürge, mint a madár
22 igazán, bizonyára 23 okos asszony létedre 24 csak
hadd lássam azt a gyereket, mi a baja 25 zavarában
26 szégyenlősen 27 oldalt 28 legelőre 29 pént lesz
30 vizsga 31 kinyilásnak indul 32 csiga-biga 33 elő-
jön, előbuvik 34 élénkeszű 35 haja úgy állott, mint
egy csomó zsindelyszeg 36 mint királyfi 37 komoly
büszkeség sugárzott 38 legelő.

EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

Apud Lacedaemonios maxima fuit disciplina militaris. Itaque cum in acie quidam Laco strictum ensem iam in hostem infixurus esset, auditio signo, quod receptui canebat, non infixit. Interrogatus deinde, cur hostem non occidisset, «Quia — inquit —

melius est parere imperatori, quam hostem occidere.»

Plutarchus.

*

Rhacoces quidam, genere Mardus, septem filios habebat. Eorum minimus, Cartomes, adolescens supra aetatem audax, suis fratribus cottidie multa mala inferebat. Frustra eum pater clementer admonebat et verbis castigabat. Aliquando venerunt in eam regiōnem iudices, qui iussu regis Persarum singulas provincias peragrabant ad ius dicendum. Tum Rhacoces filium comprehensum manibus post tergum ligatis ad iudices traxit enumeratisque eius facinoribus postulavit, ut morte puniretur. Iudices obstupefacti utrumque ad regem Persarum Artaxerxem deduxerunt. Cum rex, quae facta essent, audivisset, «Ergone — inquit — tu pater, oculis tuis sustinebis videre filium morientem?» Ille respondit: «Ita est, o rex; nam cum videro perire eum, qui fratribus suis plurimum nocet, meae res melius se habebunt et cum reliquis filiis felicius vivam.» Quibus auditis Artaxerxes Rhacocem inter iudices regios assumpsit et praesentibus «Qui tam iuste — inquit — de suo ipsius filio sententiam pronuntiat, etiam adversus alios incorruptus erit iudex.» Adolescentem vero praesenti poena liberavit.

Xenophon.

*

Simonides poeta familiaritate Themistoclis utebatur. Qua familiaritate fretus olim aliquid iniusti ab eo petivit. Tum Themistocles: «Neque tu — inquit — o Simonide, bonus poeta essem, si versus contra leges artis poeticae faceres; neque ego bonus magistratus essem, si quid contra leges patriae tuā causā facerem.»


Plutarchus.

*

Cum P. Rutilius Rufus iniustae rogationi cuiusdam amici resisteret, ille indignans: «Quid ergo — inquit — mihi opus est amicitia tua, si non facis, quod rogo?» Rutilius respondit: «Immo, quid mihi opus est tua amicitia, si tuā causā aliquid inhoneste facio?»

Val. Max.

Omnes homines ad suum quaestum callent et fastidiunt.



Haydn.

Opus quoddam perfectissimum artis musicæ peritissimi: Haydn multis displicuit. Quod cum ad aures artificis pervenisset: «Ecquam putatis offam — interrogavit hic amicos — suavitate iucundiorum esse, quam carnem phasiani?» Tamen duo genera hominum hac voluptate gulæ frui nequeunt: ii, qui dentibus carent offulasque rodere non possunt, tum, qui morbo cardiaco² cruciantur; hi enim, quia huiusmodi cibum concurre³ non possunt, temperare gulæ debent.»

De leone.

«Estne saeptum⁴ satis amplum tibi?» — interrogavit custos vivarii⁵ leonem. — «Nam, si vis, amplius id tibi fieri iubebo.»

Ille, cupiditate liberae vitae flagrantissimus, triste respondit: «Cum vastitate solitudinis orbatus sim, quid refert, an ampliores clatros⁶ habeam?»

Zalaegerszeg.

Franciscus Barát
disc. cl. VI. gymn. r.

De avaritia Scotorum.

Aliquando quidam Scotus cum uxore na-
viculam ascendit, sed mare saevire coepit
et validissimo vento agitati adeo in altum
abacti sunt, ut litus iam non viderent. Scotus
timore motus sic oravit Deum: «Mi-
Deus, si nos ad litus pervenire iuvabis, sta-
tim dabo pauperibus centum...» Sub hanc
vocem uxor raptim suclamavit: «Nihil pro-
mitte! Iam video litus!»

Responsum acutum.⁷

Aliquando quidam patricius in montem Aventinum ascendit. Plebeio obvio: «Dabo
tibi — inquit — multum pecuniae, si dicis,
quot corbes⁸ montem capere¹⁰ sufficiant.»

Miser plebeius nescit, quid respondeat;
instigatus¹¹ tamen vehementer cupiditate
pecuniae accipienda tandem cum gaudio
exclamat: «Totum montem capere sufficiet
una corbis, modo satis magna sit!»

Stephanus Pónyi
disc. cl. V. B) gymn. Miskolciensis.

¹fácán ²gyomorbaj ³megemészt ⁴ketrec ⁵állat-
kert ⁶rostély ⁷szellemes ⁸szembejövő ⁹kosár
¹⁰befogadni ¹¹elegendő, bir,

De mansuetudine¹² et magnanimitate Scipionis.

P. Cornelius Scipio, dux clarissimus Romanus, in Hispania Carthaginem Novam oppugnabat. Cum urbe potitus esset, inter captivos adducta est ad eum eximiae¹³ formae¹⁴ virgo, illustri loco nata, barbaro cuidam principi despensa. Scipio parentes¹⁵ sponsumque de re certiores fecit. Parentes vim magnam auri ad filiam redimendam¹⁶ duci attulerunt orantes eum, ut thesaurum pro filia acciperet. Scipio aurum poni ad pedes iussit vocatoque virginis sponso: «Ad dotem,¹⁷ inquit, quam a socero accepturus es, haec tibi a me dona accedant!»

Vir tanta Scipionis mansuetudine commotus gentem suam Romanis conciliavit.¹⁸

(E. M.)

¹² sarkal ¹³ szelídsgé ¹⁴ igen szép ¹⁵ jegyes ¹⁶ ki-vált ¹⁷ hozomány ¹⁸ egyesít.

EX ARCHIVO LATINO HUNGARORUM

Andreas vadir Hierosolymam.

Post haec rex Andreas terram sanctam visitavit ad mandatum Domini Papae, quod mandatum acceperat, dum esset adhuc dux.

Et ibi in terra sancta super exercitum Christianorum contra Soldanum¹ Babylo-niae capitaneus² et dux praeficitur et mox vixit efficitur gloriosus. Mansit autem tribus mensibus. Regali denique thesauro exposito,³ diversorum Sanctorum per ipsum reliquiae comparantur.

Reversus autem in Hungariam regnum suum reinvenit in prospero statu. Non tamen hoc suis meritis, sed Sanctorum, quorum reliquias afferebat, ascribi⁴ voluit.

Transactis itaque novem annis, rex gene-rosam filiam suam Elisabeth nobili viro Ludovico, Thuringiae Landgratio copulavit,⁵ qui post multos annos similiter cruce signatus devote⁶ Hierosolymam pergens ibidem migravit ad Christum. Cuius festum Hiero-solymis devote celebratur.

Migravit autem rex Andreas ad Dominum anno Domini MCCXXXV., tricesimo anno regni sui, cuius corpus in monasterio de Egrus⁷ feliciter requiescit.

E Marci Chronica:

De Gestis Hungarorum (cap. 78.).

¹ szultán ² kapitány ³ királyi kincsét feltárva
⁴ tulajdonít ⁵ nőül ad ⁶ áhitatosan ⁷ az egresi
monostorban.

Corona vitae. (9.)

Ad fabulam Felicis Nabor Latine scripsit
Valentinus Fehér.

10. Finis imperatoris.

Tempore procedente Tiberius, postquam a Seiano, qui liberrime¹ Romae nomine imperatoris dominabatur, deceptus est, impensis modo² homines oderat. Et amicos et inimicos cruciatos interficiebat. Cum senatum timeret, singulis diebus de singulis senatoribus supplicium³ sumebat;³ cum metueret memoriam rerum praeteritarum, cives trucidari⁴ iubebat, propterea quod ad cada-vera familiarium lacrimas fuderant; cum de solio⁵ timeret, etiam pueros novem annorum interficiebat.

Homines timore imperatoris tremebant, quia nemo de sua vita securus erat.

Quodam die nave in portum Neapolitanum appulsa tres viri larvas⁶ mercatorum⁷ gerentes descendunt. Ora densis barbis tecta erant. Unus e tribus erat Vitellius, quondam praefectus praetorio, qui post labores in metallis Sardinianis exantlatos⁸ aufugerat.

In cauponam⁹ devertunt.

Tertio die Vitellius cum uno comite in insulam Capreas profectus est. Ibi rescivit Tiberium Miseni in villa Lucii Luculli splen-didissima commorari.

Itaque Vitellius Misenum venit, ubi Tibe-rius comissabatur.¹⁰ Vitellius dixit se cum Macrone, praefecto custodum, loqui velle.

Cum Macro exisset, Vitellius eum salutavit.

— Ego sum — inquit — Vitellius. Me tibi notum esse puto. Quondam enim ego fui praefectus praetorio.

— Vitellius? — ait Macro obstupefactus. — Mentiris. Nemo enim e metallis Sardinensisibus adhuc usque revertit.

— Aufugi, ut imperatore ulciscerer. In metallis alterum captivum cognovi, qui aequae, atque ego, Tiberium odit. Amicitiam¹¹ inter nos intravimus.¹¹ Per multos annos sub terra fuimus, dum aufugere contigit.¹² Nunc adsu-mus.

— Quid ad me?¹³ — clamat Macro. — Vos ambos virgis caedam, in vincula coniiciam, remittam in metalla Sardiniana.

— Hoc non facies. Nonne habuisti fra-trem, quem maxime amasti?

¹ korlátlanul ² szerfelett ³ kivégeztet ⁴ legyilkol
⁵ trón ⁶ álarca ⁷ kereskedő ⁸ kiáll ⁹ korcsma ¹⁰ dő-zsöl ¹¹ barátságra lép ¹² sikérül ¹³ mit törödök vele?!

— Quintum ! — exclamat Macro. — Eum habui¹⁴ acceptissimum.¹⁴ Quid de eo novisti ? Quodam die sine vestigiis evanuit.

— Imperator eum effosso¹⁵ oculo in Sardiniam misit.

— Mentiris — ait Macro. — Hoc falsum est.

— Aspice hunc hominem — inquit Vitellius et comitem producit.

— Non iam, Macro — ait ille — me novisti ?

— Novi hanc vocem — gemit Macro horrore percussus. — Verone tu es, Quinte ? Ergo sum a tyranno deceptus. Illum spuriissimum¹⁶ obtruncabo.¹⁷

— Ego pol¹⁸ — inquit Vitellius — eum ulcisci volo. His ipsis manibus eum strangulabo.

— Venite — ait Macro. — Iudicium de illo faciemus.

Intrant in villam, quae diurna¹⁹ luce colistrabatur. Servi praefecto in terram se submittunt. Fores triclinii aperiuntur.

Tiberius in purpurea culcita²⁰ accubabat. Caput eius rosis cinctum erat. Utrumque se debant convivae adulatores, qui trementes imperatorem deum appellabant. Servi nigri taciti vinum calidum in pocula infundebant.

Tiberius poculum aureum elevabat, cum foribus apertis Macro et post eum Vitellius et Quintus apparuerunt. Macro servis dimisis fores claudit. Dein ad Tiberium aggreditur.

— Novistin — inquit — istos homines ?

— An tu, Macro — ait Caesar — nugas²¹ agere²¹ vis ?

— Minime vero ; agitur de re seria.²² Ideo hos non cognoscis, quia oculi tui caligant.²³ An forte sanguis²⁴ oculis suffusus est ?²⁴ Hic est Vitellius, iste meus frater, Quintus, quem iam dudum quaesitum repperi.

Tiberius expalluit. Tres viri proprius aggreditur.

Per omnem vitam, imperator — ait Macro — fideliter tibi servivi. Paratus fui pro te sanguinem fundere. At tu me decepisti. Supremus tibi dies advenit.

Priusquam Tiberius se levaret, Vitellius in eum invictus digitis collum eius apprehendit. Macro culcita purpurea singultum raucum²⁵ compressit.²⁶

Dein foras egressus custodes tubā canere iussit. Ad tubae clangorem²⁷ milites convernerunt. Macro ense desticto atque elevato clamat :

— Imperator mortuus est. Salvus sit²⁸ imperator Caligula, Germanici filius.

Milites, qui Caligulam maxime amabant, exclamant :

— Salvus sit Caligula !

Tum Macro cum militibus in triclinium revertitur. Macrone annuente miles stragulo²⁹ purpureo mortuum sternit.³⁰

Convivae trementes rem aspiciunt.

— Surgite — ait Macro. — Ne timueritis. Ante hos milites dicite Tiberium ostreā³¹ faucibus haerente suffocatum.

— Ita est — respondent ignavi, — imperator ostreā suffocatus est.

— Optime. Milites, educite eos.

— Quo istos ducamus ? — quaerit centurio.

— In metalla Sardiniana. Os eis obturate,³² ne quid loquantur.

11. Vitellius repudiatur.

Vitellius Romam properavit dixitque senatoribus Tiberium mortuum Caligulamque esse imperatorem.

Deinde cum Rubina locuturus in domum Marci Fulvii se contulit. Rubina albo³³ induta cum patre obviam ei venit.

— Salve, Rubina — ait Vitellius. Liber sum teque amo. Esto, Rubina, mea coniux. Sum in oculis³⁴ novi imperatoris. Recte quidem hoc merui, quia Caligula, per me regnum adeptus est.

— Quid ita ?³⁵

— Ego enim his manibus Tiberium strangulavi.

— Heu te homicidam !³⁶ — clamat Rubina aspectu fastidii³⁷ pleno.

— Quid ? mene homicidam ? Immo sum liberator. Tyrannicidium³⁸ non est peccatum, sed praeclare³⁹ factum.³⁹

— Eheu !⁴⁰ — clamat Rubina. — In aeternum inter nos revellemur.⁴¹ Ego sequor praecepta Dei veri, qui caedem fieri vetat.

— Rubina !

— Apage ! Abhorreo te. Cape, pater, manus meam ; istum metuo.

Marcus filiam amplexus dicit :

¹⁴ igen kedves nekem ¹⁵ kiszúr ¹⁶ utálatos
¹⁷ megöl ¹⁸ bizony ¹⁹ nappali ²⁰ vánkos ²¹ tréfál
²² komoly ²³ zavaros ²⁴ véres ²⁵ rekedt ²⁶ elfojt
²⁷ harsogás ²⁸ éljen ! ²⁹ takaró ³⁰ terít ³¹ osztriga
³² betőm ³³ fehér ruha ³⁴ kegyben áll ³⁵ hogy-hogy ?
³⁶ gyilkos ³⁷ utálat ³⁸ zsarnokgyilkosság ³⁹ dicső
tett ⁴⁰ jaj ! ⁴¹ elszakad.



— Noli timere, Rubina; iste abibit...
Magnum, Vitelli, facinus commisisti; Deus
misereatur tui. Relinque domum, in qua
pax inest.

— At ego — inquit iuvenis — amo tuam
filiam et illa me amat.

— Amor eius mortalis, Vitelli, emortuus
est.⁴² Cum in Golgotha sub cruce staremus,
ubi Deus effudit spiritum, omnem abiecit
sensem humanum et vovit soli Deo se esse
servituram. Aliquando cogere eam volui, ut
virgo Vestalis fieret: noluit. Nunc autem
aeternam vovit virginitatem.⁴³ Nemo sen-
tentiam eius a proposito declinare⁴⁴ poterit.
Cum pace, Vitelli, discede.

Vitellius paulisper torpidus⁴⁵ astat, dein
avolat. Marcus postea comperit illum esse
profectum cum Scythis pugnaturus.

⁴² elenyészett ⁴³ szüzesség ⁴⁴ eltérít ⁴⁵ meg-
dermedve.

In funere iuvenis.

*Lacrimas fundunt teneri parentes
Nosque lugemus socii dolentes
Flore privari iuvenum cohortem
Morte recenti.*

*Hic domi et vulgo pius ac modestus,
Omnibus blandus simul atque carus,
Maxime sollers animae saluti
Invigilando.¹*

*Hinc Deo gratus; merito fideles
Credimus tales citius vocari,
Ut sit illorum requies beata,
Tuta, perennis.²*

*Ergo moerentes pariterque amicos
Sic et agnatos, simul et parentes
Haec spei virtus moneat relictos,
Sistere³ planctum.⁴*


Michael Tóth S. J.

¹ vmire (dat.) vigyáz, nagyon gondoz ² örök
³ megszüntet ⁴ siránkozás.



GEOGRAPHICA.

Ladislaus Almássy, ut Cyrenis¹ ipse
nuntiavit, sub finem mensis Aprilis una
cum comite: Roberto Clayton, centurione²
classiario³ Britanno Ouveinat, locum inter
vastas Libyes solitudines situm aeroplano
nactus est,⁴ ut inde partes Libyes alias inter
septemtrionem et occasum solis spectantes,



usque ad hoc tempus ignotas exploraret.
Regio, quae Ouveinat dicitur, saxorum est
immanis congeries, quae instar insulae e
solitudine eminet.

Verba nuntii per telegraphum perlati haec
sunt: «Iter nostrum prospere ad exitum
procedit; fines Ouveinat aliaque loca adhuc
ignota pervestigavimus. Hodie primus in his
regionibus hospes convivio⁴ magistratum,⁵
qui sunt in media solitudine Libyae Itali-
corum interfui. Spero fore, ut intra decem
dies Chargam reverti possim. Almássy.»

Audax gens humana ruit⁶ per vetita⁷ et
animo forti impedimenta ultima tollit.⁸ Ver-
rum est sane illud Horatii: «Nil mortalibus
ardui⁹ est.»

¹ Kyrenaika ² tengerészkapitány ³ elér ⁴ ven-
dége voltam ⁵ hatóság ⁶ rohan ⁷ tilos ⁸ megszün-
tet ⁹ nehéz.

*Non vinum hominibus moderari, sed vino
homines solent.* *

*Ad suum quemque aequum est quaestum
esse callidum.*



Iocosa.

Tres discipuli petulantes¹ in via vagantes rusticum ad pabonem² dormire viderunt. Ad pabonem asinus erat iunctus. Unus e discipulis ad facinus iocosum paratus resolut asinum et ornatum³ sibi imponit et tristis exspectat, dum rusticus expurgiscatur.⁴ Interea sodales cum asino abeunt.

— Quis te diabolus⁵ huc attulit? — interrogat homo experrectus.

— Non diabolus, sed pater meus, qui magus⁶ est, iratus me in asinum mutavit. Et quia nunc exactum est⁷ tempus, expecto, quid mihi facias — respondet discipulus.

— Quid tibi faciam? Abi domum, sed dico tibi, ut cum patre concordes,⁸ ne rurus in asinum muteris.

Discipulus abit. Postero die alii duo discipuli asinum in mercatu⁹ venditabant.¹⁰ Rusticus, qui asinum emere cogitabat, suum asinum conspexit.

— Iterumne — inquit — in rixas ivisti¹¹ cum patre? Noli timere, non te amplius emam.

Valentinus Fehér.

1 pajkos 2 taliga 3 szerszám 4 felébred 5 ördög
6 varázsló 7 kitelik 8 jóban van 9 vásár 10 árulgat
11 összevesz.

AENIGMATA.


I.

In vivario¹ quodam cervi et phasiani² erant. Custodi vivarii obyiam venit dominus, qui custodem interrogavit, quot cervi et phasiani ibi alerentur. Custos iocosus interroganti hoc responsum dedit: «Cervi una³ cum⁴ phasianis centum capita et pedes ducentos sexaginta sex habent.»

Quot cervi et phasiani erant in vivario?

1 vadaskert 2 fácán 3 -val -vel együtt.

II.



(Proverbium.)

Alexius Czuppon.

III.

Dissolvendum ad saltum equulei:

tum	rat,	Ro	li
Dum	de	gun	it
Sa	per	be	ma

Solutiones aenigmatum numeri VII.

I. 1. Cilicia; 2. Luperci; 3. coronat; 4. amictus. — II. Tus. — III. 1. Stagira; 2. Rufinus; 3. Amantia; 4. candela; 5. diadema; 6. Camilla; 7. Italica. — Nomen deae Romanae: *Suadela*. **Aenigmata recte dissolverunt:** Marianna Renner, Georgia Szilvássy, Maria Schuster (Budapest), Jos. Wittner (Baja). — Praemium Josepho Wittner sorte obvenit.

Solutiones aenigmatum numeri VIII.

I.: Tiber (ius), iusti (tia), tiara, urna, so (I), Lebad (ia), Iason, v (ia), Ian (us), u (sura), sura. *Nomen rerum scriptoris Romani: Titus Livius.*

II.: *Tantummodo incepto opus est, cetera res expediet.* (Sall. Cat. 20, 10.)

III.: Fenestra, ancora, casa, ignis, tabula, ara, vannus, incus, dens, ovis, simius, nasus, ignis, mensa, Italia, alea, falx, epistola, liber, ianua, casa, insula, tentorium, arbor, sagitta: *Facit avidos nimia felicitas.* (Sen. clem. 1, 1, 7.) — **Aenigmata recte dissolvit:** Georgia Szilvássy (Budapest), cui praemium adiudicatum est.



Si quis pretium totum subscriptionis nondum solvit, solvere properet, ne ephemericidem retinere cogamur.

Moderator ephemericidis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)